

non receptus, nullum bonum significat, sed accidet ei impedimentum, depressio, & infortunium in suis rebus, donec idem planeta intret signum à quo aspiciat locum suum primum aspectu amicitiae, quia quando fuerit illud, fortificatur dominus reuolutionis, & dirigentur res eius, causae, uictus, honor, & fortuna.

Quando planeta in radice natiuitatis applicuerit alteri planetae fortunanti eum & fortificanti, & in reuolutione fuerit uacuis cursu, & sine radijs aliorum, demonstrat quod significauerat in radice, ac ipsius potentiam, ac fortunam, nec obest ei uacuitas, neque casus, in quo est in reuolutione, nisi Luna cadens fuerit in radice, & reuolutione, similiter & à fortunis remota, significat enim illi cuius est reuolutio, quod erit illo anno uacuis, & piger in rebus suis.

Quando profectio ascendens peruenit ad signum domus substantiae, uel domus fratrum, aut domus parentum, aut filiorum, uel mulieris, patefiunt res quas significauerat in radice, de natura illius domus, siue sit bonum, siue malum, siue damnum, siue utilitas.

Quando in reuolutione in ascendente fuerit infortuna, uel in lignis aspicientibus ascendens, significat impedimentum, & tristitias de natura ipsius infortuna, & signi in quo fuerit. Similiter quando ibi fuerit fortuna, misce cum eo planetas recipientes, & aspicientes ipsam, quia si fortuna aspexerit fortunam, augetur natus in bono profectu & fortuna sua. Si infortuna infortunam, augetur malum, & damnum ipsius. Et infortuna minuit à fortuna, de bono, & profectu suo. Et fortuna minuit ab infortuna de malo & damno suo.

Quando Iupiter peruenit ad domum fratrum, demonstrat & uerificat res quas significauerat in ratione legis, laudis, itinerum, & aliarum rerum conuenientium ei. Similiter quando ipsemet peruenit ad secundam domum, uerificat utilitates substantiae, fortunarum, & rationum suarum. Similiter quando Venus peruenit ad septimam domum, uerificat quod significauerat de rebus conuenientibus ei. Et illud idem fit, quando Sol peruenit ad decimam domum.

Quando significatio infortunae conuenit significationi signi, malum significat in illa natura, & in illis rebus, sicut Mars quando est in septima domo, significat rixas, inimicitias, & contrarietates. Et hoc modo significat Saturnus in octaua, & sexta.

Quando profectio ascendens peruenit ad radium infortunae inimicum, & contrarium domino illius anni, siue in radice, siue in reuolutione, significat quod anno illo erit in periculo magno, accidentibus ei damna magna.

Quando dominus ascendens radicis intrauerit radios infortunae, ea non recipiente ipsum periculum & impedimentum significat, tamen si tunc applicuerit dominus anni ad fortunam fortem eum recipientem, remouet illud malum, & euadet ab illo periculo, ac exhibit de illo infortunio.

Luna in quacunque duodecim domorum coeli, si fuerit cum parte fortuna non infortunata, natus habebit fortunam, & fortitudinem ex significatis illius domus in qua fuerit.

De tempore effectuum;

Si significatio fuerit per applicationem planetae ad suummet locum, apparebit in mense, uel diebus in quibus idem planeta potentior fuerit domino anni. Et si significatio fuerit per applicationem alicuius planetae ad locum alterius, apparebit illa significatio eius in temporibus illius anni, quibus planetae commixtionem habuerint unus cum altero.

Quam